

T_1 v.1 Jam pelagus summum classis Theseia tenebat,
 2 tendebant faciles sinuantia carbasa venti,
 3 molliter assurgens glaucas dehinc Nereus undas
 4 sternebat, placido componens gurgite fluctus ;
 5 cum juvenis patriae prospectans litora terrae
 6 Cecropius, summo gemitum de pectore traxit,
 7 et simul antiquas labi miseratus Athenas,
 8 septima quas positis urgebat sortibus urna,
 9 multa gemens miserae lacrimas accomodat urbi.
 10 Haec super : "O caeli rector divumque potestas,
 11 Juppiter, exhaustam patiar viduarier urbem
 12 civibus, et tanto potero superesse dolori ?
 13 In caput haec nostrum veniat saevissima pestis :
 14 unus pro multis sim diri victima monstri.
 15 Omnipotens, coeptis faveas si grandibus, ausim
 16 semivirum mactare manu et prosternere ferro.
 17 Pestifero nostras forsani satiabimus umbras
 18 sanguine, et hunc uni servant mihi fata triumphum ;
 19 aut simul extremo fundam cum sanguine vitam
 20 et dabor infelix crudeli praeda juvenco.
 21 Hoc placet, hoc patriae supremo funere reddam."
 22 Vix bene finierat, sensit grave murmur in undis,
 23 turbari summos fluctus, mutarier Euros ;
 24 apparet profugus delphin, deformia visu
 25 corpora phocarum ; cinguntur sidera nimbis
 26 et subito horrenda tegitur caligine caelum.
 27 Incumbunt pariter ponto Zephusque Notusque
 28 ac Boreas ; imo convertunt aequora fundo ;
 29 tollitur in caelum puppis crescentibus undis,
 30 nunc nigros manes et inania Tartara cernit.
 31 Rumpitur adverso flatu traxitque ruinam
 32 malus et extensi scinduntur cornua veli.
 33 Theseus haec : "Postquam, superi, spes nulla salutis,
 34 mergite nos ponto, Stygias nos trudite ad umbras.
 35 Si qua tamen caelo pietas mortalia curans
 36 restat adhuc, rebus, superi, succurrite lapsis :
 37 aut, Neptune pater, generis reverentia si qua est,
 38 si memoras quondam genitum Libistride nympha
 39 Aegea et solus pelagi moderaris habenas
 40 tuque tridente potes tumidos componere fluctus
 41 et si commotae metuunt tua jussa procellae,
 42 tolle hiemem, tanta miseris defende ruina."
 43 Talia fundebat maesto de pectore Theseus ;
 44 irrita sed caeli jactant per inania venti.
 45 Ingeminant ignes mixtaque in grandine fulmen

46 terrificant mentes ; luctu lacrimisque lacessunt
 47 pectora et horrentes exspectant undique mortem.
 48 Neptunus magno commotos turbine fluctus
 49 et vastas hiemes magnis Aquilonibus actas
 50 audiit, et mediis sensit grave murmur harenis ;
 51 audiit et maesti gemitum vocesque nepotis.
 52 Extemplo sterni currus niveosque jugales
 53 imperat. Ast illi dudum stant frontibus altis
 54 et morsas pariter spargunt per pectora spumas ;
 55 acria sed postquam senserunt verbera tergo,
 56 emicuere simul, pedibusque furentia turbant
 57 aequora et adversas sternunt sub calcibus undas.
 58 Praecedit pavidus delphin curvatus in orbem
 59 et tumidos placido volvit sub pectore fluctus
 60 ac pugnae occursu laetus simulacra ciebat.
 61 Nunc summo tranat, tumido nunc mergitur alto,
 62 exercet variasque vices variosque recursus.
 63 Interea Triton jussos monet ipse recessus.
 64 Audierant venti monitus jussique recedunt :
 65 nec mora, placatur pontus posuitque furorem.
 66 Postquam exempta dies tenebris Titanque refulsit
 67 aureus et caelo patuerunt cuncta sereno,
 68 proxima Schyriadum terra est et litus amicum.
 69 Contendunt remis pariter ripaeque propinquant
 70 Cecropii juvenes, avidi contingere portus
 71 velatasque manus pariter de puppe ferebant,
 72 orantes pacem et fessis solacia rebus.
 73 Advolat extemplo magni Lycomedis ad aures
 74 nuntius, et classem portus subiisse ferebat
 75 ignotasque refert facies habitusque virorum,
 76 et pacem proferre monet de litore cunctos.
 77 Rex senior magnis regni de rebus agebat,
 78 consilio procerum multo sermone trahebat
 79 ducebantque moras varia inter talia patres.
 80 Admitti jubet ipse viros et pandier aulam.
 81 Introgredi aderant omnes regemque salutant :
 82 mirantur Scyrii mores habitusque virorum,
 83 mirantur nigros habitus, quos luctea turbat
 84 vestis, et exspectant avidi cognoscere causas
 85 et celsas juvenum facies et corpora cernunt
 86 ardua. Magnanimus cunctis sed celsior ibat
 87 Theseus, et toto superabat vertice turbam,
 88 qualiter egregius dux armentique maritus
 89 Taurus, qui frontem praetendit cornibus altam.
 90 Theseus, ut medius steterat, circumspicit omnes
 91 et simul haec coram placido profatur ab ore :
 92 "O decus Argivum, fama memorate per orbem,
 93 qui regis imperio populos fraenasque rebelles
 94 justitiaque foves placidos et dirigis aequae,
 95 da passis hiemem ponti subducere classem
 96 quassatam fluctu caeli pelagique fragore,
 97 da longas aptare trabes, da montibus ornos
 98 caedere et antennis validum supponere malum.
 99 Ne dubites fluctu pressos tristisque ruina
 100 auxilio juvisse : prius servasse precantes
 101 ne pigeat, laudi forsan decorique futuros :

102 non erimus facti immemores, dum vita supersit.
103 Non nos Hyrcanae rupes nec inhospita Syrtis
104 Caucasiaeque Alpes miseros scopulique tulerunt :
105 nobis terra parens cunctas celebrata per urbes
106 Argivum, antiquas omnes vocitamus Athenas.
107 Mi pater Aegeus, magnus moderator, Achivum
108 imperium sceptrumque tenens dicione gubernat :
109 hi procerum nati magnoque e sanguine regum,
110 ingenioque pares, armis et pace potentes.
111 Non ignarus eris cladis miseraeque ruinae
112 Cecropidum, et forsan memori stat pectore factum
113 atque ut opes cecidere meae rapuitque cruentus
114 Minos, non justas leges praefixit habendas,
115 ut miseri cives juvenum septena quotannis
116 corpora pestifero legerent epulanda juvenco.
117 Mittimur infami (pudet heu jam dicere !) monstro ;
118 praeda damur ; miseros tetigit sors ducta per urnam.
119 Non ego quas posuit leges fortuna recuso,
120 quamquam sceptrum pater regni imperiumque teneret.
121 Attamen est animus pestem hanc exstinguere ferro,
122 rumpere claustra manu latebrasque recludere tecti
123 obscurasque domos in apertum pandere solem.
124 Hoc ego devovi patriae Laribusque paternis."
125 Haec memorans multo lacrimarum fonte madebat.
126 Sed postquam fatus, Scyrius rex incipit ore :
127 "Magnanime Aegide, divum certissima proles,
128 non obscura refers nobis : genus omne tuorum,
129 egregias laudes famamque et bellica facta
130 novimus, et cuncti gentem veneramur amicam.
131 Quin etiam Aegeo quondam, dum prima veniret
132 pubertas gereremque novas lanugine malas,
133 junctus amicitia, pignus data dextra fidesque,
134 et Lyciam pharetram atque arcum, mea munera, misi
135 atque habilem cursu longo pedibusque fugacem
136 cornipedem, Thracum claro de sanguine natum.
137 Ipse mihi caestus magnos, duo pocula donat
138 aurea, quae signis divinaque arte placebant.
139 Forte sub aereo populi certamen Olympo
140 decretum Phoebos celebrabant ordine sacrum.
141 Tunc ego sicque alii proceres certamen obimus :
142 Aegeus ast palmam victor clarumque triumphum,
143 magnus equum domitor, populo plaudente, tenebat ;
144 et mihi pila duo ob meritum geminaeque coronae
145 traduntur, quoniam victor de caestibus essem.
146 Tunc ego cognovi nomen famamque tuorum ;
147 et mihi si tales mansissent corpore vires,
148 incassum vobis bellum exitiumque tulisset
149 Minos, nec victis legem posuisset Athenis.
150 Heu mihi, quas habui vires hebuere senecta !
151 Sed te quam laetis oculis, clarissime Theseu,
152 aspicio ; atque ipsum videor mihi cernere patrem
153 Aegea, praestantem membris et vertice recto."
154 Haec fatus, juveni circumdat brachia collo,
155 amplexuque fovet longo, lacrimaeque secuntur.
156 Porticibus fessos juvenes post talia blandus
157 accipit in longis, placidus magna atria pandit.

158 Post haec acciri socios a litore cunctos
159 imperat et quassam classem subducere porto :
160 incedensque prior sedem stratosque poposcit
161 ante toros, jussique omnes discumbere in ostro.
162 Interea longo jubet igne adolere penates
163 instaurantque penu famulae per jussa parentis
164 regalesque struunt epulas. Merguntur aenis
165 de grege non tacto vituli, qui cornua primum
166 vix dubia pingues fundunt pubentia fronte.
167 Conveniunt pueri, pariter mantilia ponunt,
168 ac mundam portant cererem funduntque canistris.
169 Stat vetus argentum mensis atque aspera signa
170 consperguntque manus lymphis et pocula ponunt ;
171 dehinc dapibus mensas onerant. Tum vescitur una
172 Cecropius Schyriusque pater, tum cuncta juvenus.
173 Dant strepitum, summi reboant laquearia tecti.
174 Jam compressa fames, jam mensa ablata manusque
175 infundunt iterum lymphis et pocula libant.
176 Post haec Philyrides, cithara fidibusque sonoris
177 assuetus, pariter digitis modulatus et ore,
178 personat Alcidae laudes numeratque triumphos :
179 ut geminos quondam fato compresserit uno
180 horrentes cristis angues oculisque tumentes
181 sanguineis, trifida rumpentes sibila lingua ;
182 Maenaliamque feram juvenis pede concitus acri
183 vi superat, cursuque valens et passibus aequis ;
184 Lernaesque labor, ferro consumptus et igni,
185 qui totiens caesus caput infecundus habebat.
186 Viribus Antaeum aggreditur validisque lacertis
187 luctantesque diu dubius favor aspicit ambos.
188 Alcidem stimulant irae, movet aemula virtus ;
189 concipit inde animos gaudens artemque magistram
190 sublatumque ulnis animam exhalare coegit
191 Antaeum, proceres solitum prosternere magnos.
192 Abstulit horrendi spolium de caede leonis
193 fulmineumque suem certantis dextera fudit
194 Herculis et saevus gregibus data praeda tyrannus
195 sanguineis, domini mandunt fera membra jugales.
196 Maxima Gnosiaci pestis superata juveni,
197 tergemini Geryonis opes, armenta gregesque
198 eripit atque animas ternas auroque potitus
199 Hesperidum, assidue vigilis quod cura draconis
200 servabat, somnum fugiens dulcemque quietem.
201 Litus ad occiduum Gades geminasque columnas
202 erigit, ac terris pelagus permisit apertis,
203 obice disjecto montis. Subducere solem
204 infames solitas volucres demisit ab alto
205 aethere, praegnantes telis animamque vomentes.
206 Informis Cacus, post mascula cessit Amazon ;
207 ultimus ad titulos informis Cerberus exit.
208 Finierat : dant plausum omnes laudantque canentem.
209 At pater interea Schyrius vocat Alchimeonta,
210 imperat acciri natas et munera secum
211 ferre jubet, dudum quae jam discreverat ipse.
212 Illae aderant, multo ornatu gemmisque decorae,
213 et molles pallas et longum syrma trahebant.

214 Dispositae de more comas, monilia collo
 215 dependent, pictas vestes discriminat aurum ;
 216 ollis coccineo limbus circumdatur ostro,
 217 pictaique sinus vestis fibula aurea stringit.
 218 Pulchrior at cunctis, quamquam pulcherrima turba,
 219 Deidamia, decus regni, decus atque parentis :
 220 qualis cum Dryadas Phoebe vel Naiadas inter
 221 venatrix posuit pharetras compsitque capillos
 222 indocilesque imos divae tegit instita talos.
 223 Ignotas inter facies et corpora regum
 224 purpureis rubuere genis oculique repressi
 225 in terram et timidae vocis compressus hiatus.
 226 Non aliter pavidae tondent ubi pascua cervae
 227 Taenarias inter fauces in valle reducta,
 228 vicinum timidae videant si forte leonem,
 229 purpureos flores et dulcia gramina linqunt,
 230 et dubitant, seu sint captae, seu pernice cursu
 231 transmittant campos, silvasque et flumina tranent.
 232 Munera quisque capit juvenum, donante tyranno :
 233 mirantur regis natas et munera laudant ;
 234 munificum titulis Lycomedem ad sidera tollunt.
 235 Post haec subnixus sceptro quod dextra gerebat,
 236 semotis aliis, iterum rex omnibus inquit :
 237 "Vultis in hoc regno pariter mea sceptrum tenere,
 238 exiguas et opes magnis attollere factis ?
 239 Ista mihi proles tantum, non filius heres
 240 quo ferar insignis titulis Lycomedis ad astra.
 241 Est animus natas vobis sociare jugales
 242 imperiumque meum sortem capietis in aequam.
 243 O me felicem, maneat spes quanta nepotum !
 244 Non equidem casu reor huc venisse Pelagos
 245 ignaros urbis, sed enim clementia Divum
 246 impulit huc classem ventis pelagoque furente.
 247 Quid vos, heu ! Magno caput objectare periculo
 248 optatis fortesque animas committere ventis
 249 et bello ingentis forsitan celebrisque futuras ?
 250 Non placet haec pietas divis, crudelibus umbris
 251 oppetere et claram factis abscondere famam."
 252 Dixerat : ast omnes varii in contraria versant.
 253 Hinc patriae mandata movent legesque severae,
 254 hinc Venus et placidi suadent connubia regis.
 255 Excipit Aegides doctoque haec pectore fatur :
 256 "Est grave, nos patriae mandata refellere nostrae
 257 promissamque fidem, juratas fallere dexteras
 258 et commune malum pariter non ferre pudendum est.
 259 Sed tibi quas referam laudes ? Quas, optime, grates
 260 accumulem ? Meritoque tibi quae praemia ponam ?
 261 Tu nos defessos fluctu pelagoque gravatos
 262 restituis miseros, nigra de morte reducis.
 263 Si nos fata volent patrias remeemus Athenas
 264 et pestem hanc monstri Stygias redigamus ad umbras,
 265 non erimus facti immemores, dum vita supersit.
 266 Quin etiam in tenues auras cum vita recedet,
 267 gratum erit et natis rerum meminisse tuarum."
 268 Aureus interea sol circumduxerat orbem
 269 occiduasque petit Gades et conditur undis.

T_2 v.1 Compositis rebus, socios classemque parari
 2 imperat Aegides : latis navalibus exstant
 3 deductae puppes, pelagus quoque, litora complent.
 4 Stat ratibus cunctis structum latus, abiete caesa.
 5 Interea notum dant signum cornua nautis :
 6 excepere omnes monitus jussique moventur.
 7 Nec mora, festini properant conscendere in aequor
 8 atque cados onerant vino cereremque reponunt.
 9 Consedere viri transtris et vela resolvunt,
 10 adnixi tonsis certant secedere portu.
 11 Jamque polo rutilans stellae aurora fugarat
 12 sternebatque viam Phoebos frenatque jugales.
 13 Olli spirantes calidum de naribus ignem
 14 praecipitant cursus, caeli super ardua spectant
 15 subjectasque vident terras atque aequora ponti :
 16 oppositas rumpunt nubes et sidera tranant.
 17 At medium interea classis deducta tenebat
 18 scindebatque fretum tellusque absconditur undis
 19 nil, nisi jam pontum et caeli convexa polumque,
 20 cernere erat ; vasti glomerantur et undique fluctus.
 21 Procedunt agili pelagus sulcante carina.
 22 Ortygiae, Delosque simul, variaequae per undas
 23 Cyclades parent ; placet huc contendere remis.
 24 Latonam hic fama est caelo peperisse gemellos,
 25 fessa pererratum postquam compleverat orbem ;
 26 Pythonisque vias Delos abruptit et illam
 27 accepit gremio laetam fovitque dolentem.
 28 His Titan meritis Gyaro et Mycone ligavit,
 29 securam ventis, tumidos et spernere fluctus
 30 fecit et instabilem vetuit discurrere circum.
 31 Templae patent, saxo quae nunc sunt structa vetusto.
 32 Hinc vitae monitus observantissima patrum
 33 religio et rebus dubiis documenta petebat.
 34 Theseus huc, postquam terra est portuque potitus,
 35 ingreditur passimque oculis circum omnia lustrat
 36 et miratur opus simul et fulgentia templi
 37 moenia, porphyreas usque ardua sidera turre
 38 aeratasque fores, solidas auroque columnas :
 39 aeratus limes, sed eburnea tecta nitebant.
 40 Aureus at paries pictus miro ordine rerum
 41 divinum testatur opus, mortalibus ista
 42 non concessa quidem : neque enim per saecula longa
 43 improba cura hominum meditari talia posset.
 44 At quicumque Deum fuerint, abolesse vetustas
 45 creditur et longum jam suppressisse per aevum.
 46 Principio molem magnam sine luce sub umbris
 47 implicitam ; nusquam pontus, non terra polusque ;
 48 nusquam ignis, nusquam fulgentia sidera caeli :
 49 omnia pugnabant sine corpore habentia corpus.
 50 At Deus omnipotens litem discrevit iniquam
 51 discrevitque ab aquis caelum terramque polumque
 52 inque locum certum cessit nitidissimus aer.
 53 Continuo prodit Phoebus rutilante capillo :

54 purpureus primum venit et juvenilibus annis
55 intonsusque caput, flavos pressante capillos
56 flamma : stat pronus torto cum verbere in armos
57 alipedum et flagris vexat cogitque frementes.
58 Praecedunt celeres horae cursumque secuntur.
59 Inspirat fetus mentesque animasque solumque ;
60 et lucem caelo, et terris alimenta ferebat
61 temperiemque dabat mundo lumenque sorori.
62 Pronus in occasum tandem se inclinat anhelos
63 cornipedes, longe crescentes duplicat umbras.
64 Mutatur fulvus tegimen roseumque colorem
65 induitur, fessos solvitque ad prata jugales,
66 quae molli frondent cytiso ambrosiaque virenti.
67 Magna Thetis gremio recipit lassoque nepoti
68 blanditur, calidos ignes distemperat undis.
69 Tum vacuus curis gracili modulatur avena
70 ilicis ad ramos. Properantem et fluminis undam
71 addidit et latas terras fontesque fretumque ;
72 inque salo nantes pisces camposque ferarum
73 transmitti cursu, populos atque oppida jungit ;
74 infernasque domos, Ditis non mitia regna,
75 informesque plagas et non placabile numen
76 vectoris Stygii. Videas saevire flagellis
77 Eumenides miserumque animas expendere poenas
78 tergeminumque canem cernas inhiare trifauci
79 gutture et extremas vocem resonare per umbras.
80 Dum miratur opus, laudat dum singula Theseus
81 obtuituque stupet longo gaudetque videndo,
82 ecce venit Phoebi interpres custosque sacrorum
83 compellat stantes et amica voce locutus
84 cognoscit causasque viae cursusque virorum.
85 Admonet, extemplo cunctos in vota precesque
86 procumbant terrae juvenes Phoebumque precentur.
87 Necdum finierat blandus praecepta sacerdos,
88 fit crepitus ; ruere omnia circum et visa moveri
89 et sedes augusta loci et sacraria templi,
90 qualiter ex supero pluvius cum Juppiter orbe
91 fulminat ac caelum geminata tonitrua rumpunt ;
92 auditurque imis adytis vox certa subinde
93 Phoebia indubiam rerum perquirere sortem :
94 "Desine, magnanime o, tandem jam desine, Theseu ;
95 Fata tibi clarum statuunt ex hoste triumphum.
96 Nec vicisse voles ; funus stragemque tuorum
97 conspicias, diris confusam et planctibus urbem."
98 Territus auditis, quae Phoebi oracla monebant,
99 Cecropius juvenis mentem in diversa revolvens
100 haec tandem : "O rector mundi, suprema potestas,
101 Juppiter, o divumque parens hominumque creator,
102 aspice res dubias, magnis nos solve periclis.
103 Celsa tibi statuam peregrino e marmore templa
104 victor, et ardentes thuris spectabis acervos."
105 Haec fatus, properans classem sociosque parabat
106 sulcabatque fretum Zephyrosque ad vela vocabat.
107 Fit cursus pelago in magno, spumantibus undis ;
108 disparent suspensa jugis Naxosque Parosque
109 et Donisa procul, vario et freta concita fluctu.

110 Ventum erat ad Cretes litus : descendere vela
 111 incipiunt ; suppleant remis terramque capessunt.
 112 Collis erat geminus longe sublatus ad auras,
 113 accinctus scopulis, quem circum ingentia saxa
 114 et geminae moles usque ardua sidera adibant :
 115 hic sinus, et fessis statio tutissima nautis.
 116 Huc numquam Boreas madidis furit improbus alis,
 117 incassum Zephyrus movet aspera bella Notosque
 118 excitat et lassas produnt conamina vires :
 119 saxa obstant, tumidi franguntur in obice fluctus.
 120 Hunc subeunt celsamque petunt a navibus urbem,
 121 moeniaque insignis regis, Minoia tecta.
 122 Nuntius interea magni petit alta tyranni
 123 atria regalesque domos et singula pandit :
 124 Cecropios venisse viros et Thesea magnum.
 125 At rex sublimis solio atque tapetibus aureis
 126 suffultus, gemmis, ostro cultuque decorus,
 127 jura dabat populis centum et censebat iniquos
 128 ac sontes miserae caedis scelerisque nocentes.
 129 Tunc introduci cunctos jubet, omnia fari
 130 quae placeant, simul et pergrandia limina pandi.
 131 Admissi juvenes regem de more salutant.
 132 Theseus at postquam sese collegit, ab ore
 133 incipit et coram docto sic pectore fatur :
 134 "Maxime Graiugenum princeps, dux inclite bello,
 135 qui populos centumque urbes in pace gubernas,
 136 qui premis Ionium ratibus gentesque superbas
 137 frangis et invitis leges praefigis habendas,
 138 cujus fama volat totum vulgata per orbem,
 139 sis felix, regnumque tibi sit vita perennis.
 140 Cecropidae veniam miseri vitamque precamur ;
 141 novimus et culpam patrumque errata fatemur.
 142 Sit vicisse satis ; victos miserare precamur ;
 143 poenarum satis est, satis est tibi sanguinis haustum.
 144 Cur gnati insontes patrum commissa piabunt ?
 145 Quos durae vexant sortes, quos urna recenset,
 146 quo miseri pacto tantum potuere mereri ?
 147 Poena suos debet facti tam turpis habere
 148 consortes, qui grande nefas crudeliter ausi.
 149 O miserae matres fecundaque pectora frustra,
 150 si dulces natos crudelia fata manebunt !
 151 Quid juvat instructam bello exercere juventam,
 152 quid mores patriae legesque habuisse suorum,
 153 si caput infami monstro exhibuisse necesse est,
 154 si mortem expertem laudis, sine nomine vitam
 155 gessimus, imbelli tandem si marte cadendum est ?
 156 Utere nos, armis, pubem rebusque gerendis
 157 in quascumque voles gentes quocumque sub axe :
 158 non piget hanc fortes per vulnera fundere vitam,
 159 dum tibi ducatur partus post bella triumphus.
 160 Quod tibi si placeat tali damnare periculo
 161 Cecropidas, gentem claram populumque deorum,
 162 elige vel potius quassatam vertere ab imis
 163 sedibus egregiamque urbem murosque superbos,
 164 aut propera incensas flammis consumere Athenas."
 165 Dixerat, ac lacrimis faciem madefecit abortis,

166 quas patriae pietas dicentis traxit ab ore ;
167 et cuncti pariter vitam veniamque precantur
168 proclives terrae juvenes cum supplice fletu.
169 Motus erat lacrimis, motus sermone loquentis
170 Aegidae docti, durum mollescere pectus
171 coeperat in melius, mens consiliumque tyranni
172 vertuntur, placidus spectat relevatque paventes ;
173 sed postquam subiit mentem crudele perempti
174 praedulcis nati casus dehinc funus acerbum,
175 incaluit subita, sibi quam dolor attulit, ira.
176 Haec super exclamans jungit non mitia dicta :
177 "Sperastis, juvenes, blandis me fallere verbis,
178 immemores dulcem natum, mea gaudia, morte
179 tam tristi absumptum, medias qui missus in auras
180 aerea e turri terram ferit ore cruento ;
181 discussae fauces, tellus madefacta cerebro est.
182 Heu, gens crudelis, superans feritate leones,
183 et saevas tigres et equos Diomedis iniqui,
184 quid puer infelix, mea quid dulcissima proles
185 admisit ? Meruit talem quo crimine mortem ?
186 Nunc agite, et justas inimico sanguine poenas
187 solvite, nec sontes patrum commissa piate :
188 hoc poscit gnatus, magnorum hoc numina divum.
189 At vos, o socii, regis ne temnite jussa ;
190 septima cum primum se lux ostenderit orbi,
191 post dulcis nati inferias pompamque sepulchri,
192 hos servate reos mediisque includite saeptis
193 ambigui tecti et numquam remeabilis aulai.
194 Nulla Jovi melior poterit, nec victima nato
195 mactari, nec quae manes animamque sepulti
196 leniat : infundam tepidum per busta cruorem."
197 Haec loquitur ; gnato maestos indicit honores.
198 Extemplo acciri populos, quos maxima Cretes
199 urbibus includit centum placidissima tellus,
200 imperat, exsequias nato, maestissima dona,
201 qui celebrent, placent manes animamque sepulti.
202 Conveniunt jussi, pompas simul ordine ducunt.
203 Jamque dies aderat, qua sol compleverat orbem,
204 annuaque exstructo celebrabant sacra sepulchro.
205 At Venus interea linquens Cythereia tecta,
206 atque Paphum et Cyprum atque aras de thure calentes,
207 Aegyptus quod dives alit, mitissima terra,
208 inde Dione aderat, sacris de more peractis,
209 sublimis curru, geminae quem forte trahebant
210 argento similes terso niveaeque columbae.
211 Aurea nectebant pariter religamina collum
212 atque jugo suberant auro gemmisque nitenti.
213 At geminae volucres terram nunc pone secabant,
214 nunc superum tranant caelum nubesque deosque,
215 nunc medio insistunt tractu, nunc aera scindunt,
216 sed vento assimilés agili Boreaeque nivali,
217 tam celeres pennis quam nervo emissa sagitta
218 quamque oculi possint cursum servare sequentes.
219 Aspicit ex alto divum placidissima longe
220 dimissam portu classem residesque jacentes
221 in transtris nautas, curis, pelago quoque fractos,

222 maestitia plenos, quoniam succedere Theseo
223 res nequeant poscatque omnes in fata necemque
224 praedurus Minos, precibus non mobilis ullis.
225 At tumulo montis longo Minoia juxta
226 tecta videt populosque simul placare sepulchrum,
227 innumera pariter terram tabescere caede
228 caesarum pecudum, praepinguum et armentorum.
229 Stant lacerae crines et tunsae pectora palmis
230 Cretenses matres ; colles et litora circum
231 femineos mittunt questus ululataque verba.
232 Parte alia juvenum morti devota propinquae
233 Cecropidum turba est, ex qua maestissimus exstat
234 Theseus, Cretenses mores hominesque solumque
235 exsecrat, et lucem quod jam tueatur amicam
236 ingemit, ac caelo palmas expandit utrasque.
237 Haec super : "O laeti fortunatique meorum
238 manes, quos muros juxta patriosque penates
239 contigit extremam fatorum expendere legem !
240 Nos miseri imbelles ferro, sine Marte, sine armis,
241 ignobiles cuncti mortem patiemur iniquam.
242 Nos utinam summo veniat petiturus Olympo
243 Juppiter, et diro nos fulmine trudat ad umbras,
244 quandoquidem infami casu letoque cadendum est ! "
245 Haec memorans lacrimis faciem madefecit obortis ;
246 atque oculis postquam lustravit cuncta Dione
247 sidereis, nimium justo commota furore,
248 haec ait : "O multum Phoebi imperiosa propago,
249 non satis est bello victas supponere gentes
250 imperiis (vincat tandem si vincere fas est),
251 cur etiam egregios juvenes, et corpora bello
252 fortia tam tristi leto crudelibus umbris
253 impulit oppetere, et vitam sine laude per auras
254 fundere quis divum patitur ? Cur cessat in arma
255 Juppiter et longo tonitru discindere caelum,
256 dum petat infamemque domum gentemque malignam
257 fulmine, jam tota flammis succendat in urbe ?
258 Ast ego non patiar, regni decus atque parentum,
259 egregiam pubem tam turpi occumbere fato,
260 Neptuni prolem. Sunt et mea regna sub undis,
261 unde genus trahimus." Post nato talibus inquit :
262 "Nate, tuae matris vires, dulcissima proles,
263 jura tibi in superos, timet et tua spicula taeter
264 Orchus, Taenariae fauces regesque silentum
265 quaeque habitant terras animalia, quaeque sub undis.
266 Nunc votis succurre meis : potes ipse tuumque
267 exerce officium ; totas nunc concipe vires.
268 Fac genus invisum Phoebi, Minoia proles,
269 ardeat ; insano semper sit capta furore,
270 decipiatque patrem falso, fugiatque per undas.
271 Hoc poteris pacto tantis revocare periculis
272 Thesea, devotum pesti mortique propinquae.
273 Sic nostram causam nostrumque accingere luctum
274 ulcisci. Ha ! Phoebum magnam laesisse Dionem
275 paeniteat. Nostro posthac jam, Phoebe, marito
276 exprime : cur miseris per te sunt retia nobis
277 distenta et cuncti potuerunt noscere culpam

278 caelicolae ? Si culpa tamen crimenque vocari
279 debuit et culpam miseri mereantur amantes."
280 Nec lacrimas tenuit, subitoque incensa furore est
281 candentesque genas acris rabiesque dolorque
282 succendit, subitaque animus commotus ab ira est.
283 Tunc decuit rubuisse Deam mixtusque pererrans
284 pectora Acidaliae Veneris candorque ruborque.
285 Audierat natus matris mandata levisque
286 attollens sese medias tranavit in auras,
287 unde omnem campum, mixtos populumque patresque
288 nosse erat. Insignes forma niveique decoris
289 Minois natas, sobolis spes sola futurae
290 quae fuerant, curvo stantes in litore cernit,
291 neglectas habitum lugubrem lacrimisque madentes.
292 Stant lacerae crines et tunsae pectora palmis
293 incusant duros divos casusque perempti
294 germani deflent, nimium miserique parentis.
295 Ipse procul montis sublimis in arce Cupido
296 tela parat, figit geminas, et contrahit arcus.
297 Illa volant : miseris ambabus pectora figunt
298 saucia, sed totas carpit furor ipse medullas.
299 Obstupuere simul, simul et correpta videri
300 pectora flammiferoque simul succensa furore.
301 Utraque nescit amans quid amet ; tamen ardet amatque
302 utraque, crescentis stimulos cognoscit amoris.
303 Labitur ex animo fratris gemitusque dolorque
304 et lamentati cedunt cognomina fratris.
305 Acrior increscit gemitus majorque cupido
306 flagrat, nec requiem praestat spatiumque quietis.
307 Nec quid ament usquam est : tanta est insania mentis !
308 Odere et maestos habitus pompamque sepulchri,
309 exoptant comptasque comas habitusque decoros :
310 cui tamen ornentur, cui vel placuisse laborent,
311 mussant, et tanto perplexae errore tenentur.
312 Finis erat, pompa ingenti sacrisque peractis,
313 et jam dimissae redeunt ad castra cohortes,
314 officio functae maesto lacrimisque madentes.
315 Ecce autem et maestum ducunt post agmina Theseum,
316 stipatum sociis maestis tristisque caterva ;
317 nec tamen egregiumque decus lumenque juventae
318 perdiderat ; roseo rutilabant vertice flammae
319 purpureae et gratis oculis circumspicit omnes ;
320 et secum memorans patriae dispendia carae,
321 quamquam animus nutet, mens est non mobilis illi.
322 Hunc post maerentes juvenes, quos poena propinqua
323 mortis et irati regis mandata fatigant.
324 Conspicit hos populusque frequens junctaeque phalanges.
325 Sunt qui justa probent saevi mandata tyranni ;
326 est et qui lacrimet, regis mandata remordens,
327 pulchra videns tauro tradi turpique machiae
328 corpora magnanimum, tali non danda periculo.
329 Ventum erat ad circi fines, ubi regia proles
330 stabant innumeraeque simul juvenesque senesque,
331 debita solventes busto sollemnia matres,
332 quarum quae major natu pulcherrima, cunctis
333 carior et patriae dilecta Ariadna senectae.

334 Obstupuit mentem sensus, calor ossa reliquit,
 335 Thesea cum primum visu lustravit amatum,
 336 cui frons assimilis divis geminique nitebant
 337 sideribus similes oculi, cui candida cervix,
 338 cui gestus divis Phoebo similesque Lyaeo.
 339 Lassa solo sedit ; genibus jam fessa nequibat
 340 stare, nec acceptam caeli cognoscere lucem.
 341 Frigescit torpentque pedes pectusque manusque :
 342 accurrunt celeres matres nutrixque sororque,
 343 seminecemque fovent causasque inquirere curant,
 344 quid doleat, quae causa mali subitique doloris.
 345 Illa nihil ; tantum suspiria traxit ab imo
 346 pectore ; suspirans iterumque iterumque gemit.
 347 Tandem ad se rediit clamans : "Discedite cunctae :
 348 me miseram ! Genitor crudelis, et ipsa relinquar,
 349 dispeream, dirum facinus si feceris ipse."
 350 Haec et multa simul, ceu Baccha, furentia verba
 351 blactit, inops animi mentisque suique, suorum ;
 352 Thesea dehinc spectat stantem ardescitque videndo.
 353 Utque solent stipulae, dudum quas coxerat aestus,
 354 arva novans prudens postquam succendit arator,
 355 paulatim primo superat vis flammae primas,
 356 mox ubi concepit, stantes consumit acervos,
 357 nec modus in flamma est, praestent si flamina venti ;
 358 sic regis proles, superat quam dira cupido.

T_3 v.1 Saucia jam caecum virgo sub pectore vulnus
 2 gestat et ardenti nimium succenditur igni.
 3 Vis latet in venis ; totos depascitur artus
 4 ardor, nec requiem praestat spatiumque quietis ;
 5 nec quod amet tutum est, nec quod potiatur amato.
 6 Ardet amans, nimio rapitur succensa furore.
 7 Interea occursat menti generosa propago
 8 gentis Cecropiae : repetit genus omne parentum
 9 Theseaque in primis, cui sit placidissima mater
 10 et genitor divis genitus de semine ponti,
 11 et Neptunus avus, Thetis est suprema canenti.
 12 Nam canit Aegidae laudes titulosque genusque,
 13 ut quam fortis equo valeat, quam pectore et armis,
 14 ut pedibusque celer quam sit, vel promptior auris.
 15 Quamquam absit, coram semper praesensque videtur.
 16 Sic animus frustra verbis et imagine ficta
 17 pascitur ; interdum vultus faciemque videre
 18 Aegidae ut credit, compellans vocibus hiscit
 19 et cupit ambito circumdare brachia collo.
 20 Jam natale solum vile est genitorque sororque
 21 et genitrix, omnes quibus una duxerat aevum.
 22 Nobile Cecropidum nomen, genus omne solumque ;
 23 egregios laudat mores habitusque virosque,
 24 et celsas juvenum facies et corpora laudat.
 25 Thesea praecipue divis magnoque Tonanti
 26 comparat ; hunc animo solum speratque cupitque ;
 27 hunc servare parat, sociae et succurrere genti,
 28 vitet ut horrendi faciem et discrimina monstri.

29 "Num me crudelem dicent juvenesque senesque,
 30 et nil humani cordis, nil juris habentem,
 31 si potero spectare oculis crudelia Thesei
 32 fata et si potero pereuntes cernere reges ?
 33 Quis tam crudelis spectator funera cernet
 34 immatura quidem, juvenum tot corpora morti
 35 tradier, expertes titulis et honore sepulchri ? "
 36 Haec ait et faciem lacrimis madefecit obortis ;
 37 tanta illam dirae mortis tangebatur imago !
 38 Post haec ad Phaedram defert, cui singula pandit :
 39 "Phaedra soror, mihi quam pietas sanguisque propinquat,
 40 Phaedra, meis oculis quam lux, quam vita salusque
 41 cara magis, nostrum fidissima tu quoque pectus
 42 consilium accipies, noscit prius omnia nutrix.
 43 Hic juvenis nostris qui nunc stat moenibus hospes,
 44 me miseram, quanto mentem inflammavit amore !
 45 Quantus adest ! Forti quam pectore ! Gratia frontis
 46 qualis in aspectu ! Nimum quam dignus amari !
 47 Quale supercilium ! Quanta est facundia linguae !
 48 Egregium capitis decus est. Cur singula dicam ?
 49 Hic divis genitus, diva et genitrice creatus,
 50 cui Neptunus avus, Thetis est suprema suorum.
 51 At pater antiquus, Graium rex, praesidet arvis
 52 consilioque potens magnas moderatur Athenas.
 53 Filius huic tantum puer est, dulcissima proles,
 54 Hippolitus nomen : superat jam vertice patrem
 55 pubescens mollique genas lanugine vestit.
 56 Hic tibi se thalami expertem venerisque reservat ;
 57 hunc tibi devovi, placeat modo jungere foedus.
 58 O nos felices, maneat spes quanta nepotum !
 59 Proposui Cretam patriasque relinquere sedes
 60 exosas tandem ; nam quis tam durus, iniquae
 61 tam patiens terrae ? Sors o durissima regni,
 62 et scelerata simul ! Monstro dat corpora diro
 63 humana, et fuso tandem pascenda cruore.
 64 Vincuntur Diomedis equi feritate, leones
 65 immanesque lupi, non mitis et ara Dianae.
 66 Ipsa ego discedo scelerataque litora linquo,
 67 hoc comite ; et primos cum lux detexerit ortus
 68 (suadet amor monstratque vias et carbasa tendit),
 69 procurvis jam jam sulcemus caerulea proris.
 70 Sed tibi mens qualis ? Quidnam, placidissima, sentis ? "
 71 At Phaedra, Hippoliti sensit pia nomina postquam,
 72 arsit, et extremas carpsit furor ipse medullas :
 73 non aliter magni cingunt ubi sidera nimbi,
 74 cum pugnant cori caelumque ardere videtur,
 75 paulatim primo nox turbida nubila complet,
 76 vibratae lucis fulgor mortalia terrens
 77 pectora et angusto percurrens lumine terras.
 78 "Duc age nunc, germana tuis dulcissima votis.
 79 In quascumque voles terras ; tranabimus ambae
 80 haec freta ; Cecropios portus gentemque petamus
 81 dissimilem nostrae. Nam quo praestantior illa est !
 82 Haec gens crudelis fusoque in sanguine gaudens :
 83 at genitor Minos quam patiturque videtur
 84 impius et divos nescit post facta timendos !

85 Sed tu Cecropias insigni laude per urbes
86 diceris servasse simul tot corpora regum
87 servatrixque virum populi cantaberis ore.
88 Occurrent matres ; pro nati dona reductis
89 sacrabunt ; capies, felix Ariadna, coronas
90 intextas auro praestanti et Perside gemma.
91 Nunc age, nunc properemus, ait : de litore funem
92 rumpamus ; celeri scindamus remige fluctus."
93 Postera surgebat fulvis aurora quadrigis,
94 sternebatque viam Phoebos frenatque jugales
95 ambrosiae foliis et dulci gramine pastos.
96 Hic, ubi stat secreta Thetis sub mollibus undis,
97 rumpebat gratae somnos aurora quietis :
98 omne genus pigris animantum pellit ab umbris
99 instauratque vices cunctis operumque labores.
100 Theseus interea vigilans, jam caede peracta
101 deformis monstri, ferro quod et arte renitens
102 vi superat, patriam turpi jam foedere solvens,
103 ambiguum repetebat iter, vestigia retro
104 observata legens, monitis adjutus amicae,
105 ac filum glomerans, primo quod poste ligarat.
106 Est locus ad laevam Cretes, Minoia juxta
107 moenia, crebescens tenuis quem verberat unda.
108 Hic ingens moles saxo stat structa superbo :
109 Gnosiadum hic cineres (regum monimenta priorum)
110 compositi perstant tumulto manesque sepulti.
111 Hic profugis dictusque locus praefixaque meta est,
112 ne longo errandum cursu varioque tumultu
113 esset, nec nigram vox dispergenda per umbram.
114 At simul evigilans, stratis Ariadna relictis,
115 surgit amans, Phaedra comite, et non amplius una,
116 et suspensa gradum portas evaserat omnes.
117 Accidit horrendum dictu et mirabile monstrum.
118 Forte duo pingues tauri totidemque juvencae
119 oblatis, longum bellum pugnamque ciebant
120 cornibus inter se adversis et fortibus armis :
121 una tamen multo nixu defessa refugit
122 ocius, et dubiae noctis se condidit umbris.
123 Restabant gemini, non tardi ad vulnera, tauri ;
124 dumque diu certant vario discrimine, tandem
125 alter in alterius consurgens vulnera taurus
126 hostis, in occursu tota vi concitus hostis
127 irruit, et largo terra est madefacta cruore.
128 Pectoris excussae crates atque ossa refracta :
129 ille animam victus multo cum sanguine fudit,
130 et moriens vacuas pulsabat calcibus auras.
131 Tabuit horrendis monstris exterrita virgo,
132 et celerem gressum pariter cum voce repressit
133 utraque, sed major trepido sic fatur ab ore :
134 "Cara soror, quidnam divum haec prodigia monstrant ?
135 Paenitet incepti ; nimium temeraria dicar ;
136 ignotis populis Cretam patremque decusque
137 posthabuisse ferar". Simul et vestigia retro
138 torserat, et Phaedram meditantem multa reliquit.
139 Phaedra refert : "Divos meditari talia credis,
140 scilicet hos vacuos curis haec monstra referre ?

141 Tu sequere inceptum ; rident nam talia divi.
142 Quid tristis dubitas ? Amor est qui talia cogit :
143 laudabunt tandem factum divique hominesque.
144 Quid patriam defles, ceu terrae et litora desint ?"
145 Haec dum multa serunt vario sermone paventes,
146 Thesea conspiciunt, passu properante : "Quid, inquit,
147 quisve moras tantas cogit vos nectere casus ?
148 Jam properetis, ait ; navem conscendite tandem,
149 dum poscunt fluctus, venti dum carbasa tendunt."
150 Haec tantum pariterque manu de litore funem
151 rumpit et undosum scindit mare concita classis.
152 Insurgunt remis juvenes, freta turbida verrunt,
153 ingeminant ictus : tunsae fragor aurea rumpit
154 sidera, decurrunt madido de corpore rivi
155 sudantum. Laudes simul et pia carmina dicunt
156 servanti Veneri ; quales cum frigida linquunt
157 litora Strymoniaeae grues, aut candida cygnus
158 aut Nilum aut pinguem Tiberim terrasque benignas
159 dum petit, ac hiemes campis permutat apricis.
160 At pius Aegides, puppi stans fixus in alta,
161 laetus agit grates divis Venerique Jovique ;
162 post haec, spumanti vino cratera coronat
163 et libans fundit ventis et voce precatur :
164 "Ferte viam, venti, facilem" ; simul ipse nigramentem
165 dans hiemi sacram pecudem, tum viscera salsum
166 porricit in marmor cupidusque potitur amica
167 amplexuque fovet pavidam : dehinc oscula figit
168 dulcia, speranti nullos jam posse nocere
169 caelicolum, nec dulce bonum mutarier usquam.
170 Spes hominum fallax fatique incerta futuri !
171 Quam varias rerumque vices fortuna modosque
172 invenit, et numquam certo stat tramite currens !
173 Te miseram, quantus luctus lacrimaeque secuntur ;
174 sed nescis quotiens cupies occumbere mortem !
175 At ratis interea fertur, spirantibus austris,
176 et repetit varias fluctu sparsasque per aequor
177 Cycladas et vario relegit freta concita cursu.
178 Tum mare turbari summosque attollere fluctus
179 coeperat et subita caelum nigrescere nocte.
180 Mutantur venti ; rapit in contraria quisque ;
181 tres totos errant soles, tot noctibus iidem.
182 Non tamen Aegides, quamvis furit aura, resolvit
183 amplexus cupidusque magis sua gaudia servat,
184 securus pelagi large surgentis in undas :
185 ceu trepida sub nocte lupi populantur ovile,
186 cum fervens ira sequitur vestigia pastor,
187 vicinos ciet agricolas acresque molossos :
188 ille fugit praedamque tenens simul urget et aufert.
189 Quartus erat Titan jam jam declivis et undis
190 mergitur : apparent vicinae litora Naxi :
191 Thesidae fessi classem ad navalia vertunt
192 atque salo infusi simul obversantur arena
193 disponunt cupidi mensas et corpora curant.
194 Aegides nil tale parat, nec talia pensat ;
195 ardet amans nimioque ardens exaestuat igne ;
196 Phaedra placet ; thalami veniunt obliviam primi.

197 O nimium felix, facili qui victus amore est :
198 infelix, cujus turbant sua gaudia luctus !
199 Labitur ex animo dilecta Ariadna novasque
200 Theseus accendit flammam rapiturque furore
201 dissimili primo : quanto est haec pulchrior illa,
202 tam magis atque magis vires habet ipsa cupido.
203 Non promissa fides et amor jurataque verba,
204 non dulces nuper thalami dulcesque hymenaei,
205 et frons et facies totiens laudata, nec illi
206 sideribus similes oculi jam Thesea tardant
207 immemorem meriti, supera quod fungitur aura,
208 ne fallat fraudesque paret nil tale timentis.
209 Te miseram ! Sine te ventis dare vela secundis,
210 altera cum veniet stellis aurora fugatis,
211 perfidus attentat, scopulis solamque relinquet.
212 Altera jamque dies suberatque crepuscula lucis,
213 Puniceus caelo Phoebus monstratur aperto :
214 Theseus ignaram fati somnoque gravatam
215 ignotis scopulis, ignotis linqere terris
216 apparat, et meriti tegitur jam gratia magni.
217 Exsecrat hanc animo mentem : dolor, ira furorque
218 armat in exitium miserae nunc Thesea durum.
219 Interea nautas tacitos discedere portu
220 imperat et ventis jam jam dare vela secundis.
221 Audierant monitus cuncti ; post jussa facessunt.
222 Jam medium tenere omnes, salsosque secabant
223 intrepidi fluctus ; scopulos litusque solumque
224 despiciunt aestu summo et surgentibus undis.
225 Ast pigras Phoebus dudum compresserat umbras,
226 siccabat madidae noctis vestigia flammis,
227 cum subito surgit stratis Ariadna relictis,
228 prosilit atque thoro, raptor quem struxerat herbis,
229 quo dulcis somnus fessos compresserat artus.
230 Excutitur ; visu litus circumspicit omne.
231 Nullum in conspectu primo nec Thesea cernit,
232 nec classem, aut socios ; subita formidine pectus
233 dirigit gelidoque simul stat lingua palato.
234 Est stupidae faucis subito conclusus hiatus
235 vultque loqui, nec verba potest dissolvere : tandem
236 excelsam scandit molem latumque reposcit
237 prospectum pelagi, videat si forte per undas
238 et classem et socios atque ipsum Thesea cernat.
239 Ecce procul spectat fugientis vela per aequor ;
240 agnoscit ; longas voces jactavit in auras :
241 "Quo fugitis juvenes ? Numerum si quaeritis omnem,
242 una absum : numero meme conjungite vestro.
243 Heu miseram, monstris linqor lanianda ferisque !
244 Cecropidae ingrati nimium, quos ipsa redemi
245 devotos miserae pesti caedique nefandae !
246 Hoc meritum et tali pensatis munere grates ?
247 At tu, quem famae, patriae, patrique meisque
248 praeposui, solam potuisti linqere, Theseu,
249 quam tu jurabas plusquam tibi cuncta placere ?
250 Quo promissa fides et amor jurataque verba ?
251 Quo dulces abiere joci ? Pudet omnia fari.
252 O gens crudelis, scopulis et stipite nati,

253 quos in Caucasia lactarunt rupe leaenae,
254 ibitis immemores omnes meritique meique ?
255 Nonne haec de supero vindex spectabit Olympo
256 Juppiter atque imas vos fulmine trudet ad umbras ?
257 Ite triumphales, Argivas ite per urbes ;
258 poena tamen meritos, quamvis tardata, manebit.
259 Imprecor ipsa deos, moveant si talia, magnos,
260 si moveant superos mortalia facta quietos,
261 sint memores sceleris tanti feriantque nocentes.
262 Deprecor, ut nati divulgum corpus amati
263 spectes nec meriti rorantia membra per agros,
264 conjugis atque hujus, pellex quae facta, sororis
265 ante oculos funus videas doleasque gemasque.
266 Sit confusa domus ; semper sit sanguine rorans ;
267 Aegeus ante cadat, reducem quam cernat alumnum,
268 jacteturque undis summaque inhumatus harena
269 erret, nec solitum capiat decus ipse sepulchri.
270 Aut nostri divum quisquam miserebitur, aut me
271 praecipitem hoc saxo Glaucus spectabit ab undis."
272 Dum queritur, celeres jactant per inania venti
273 hos questus lacrimasque simul gemitumque dolentis.
274 At ratis interea, fluctus dimensa, petebat
275 Cecropios portus ; celsa cum prospicit arce
276 Aegeus, agnoscit nati nigrantia vela,
277 credit et absumptum fati crudelibus ipsum
278 Thesea dilectum, supera nec vescier aura.
279 Obstupuit ; gelidus coit ad praecordia sanguis ;
280 canitiem lacerat capitis ; dehinc pectora palmis
281 pulsabat, longis implens ululatibus astra :
282 "Haec tandem, o, dilecte mihi, solacia patri !
283 Hanc ego, jam sine te gratam, nunc cernere lucem
284 haud potero, fractus senio et praegransibus annis.
285 Te decuit juvenem longam producere vitam ;
286 heu patris spes una tui, carissime Theseu,
287 occidis ! Infernas nunc te sequar ipse per umbras."
288 Haec ait, et liquidas descendit pronus in undas.